



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Quòd temporales miseræ, exemplo Christi, æquanimiter sint ferendæ. 18

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

2 Si me vis esse in tenebris, sis benedictus: & si me vis esse in luce, sis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, sis benedictus: & si me vis tribulari, sis æquè semper benedictus. † Fili, sic oportet te stare, si mecum desideras ambulare. Ita promptus esse debes ad patiendum, sicut ad gaudendum. Ita libenter debes esse inops & pauper, sicut plenus & diues.

3 \* Domine, libenter patiar pro te, quicquid volueris venire super me. Indifferenter volo de manu tua, bonum & malum, dulce & amarum, lætum & triste suscipere: & pro omnibus mihi contingentibus, gratias agere. Custodi me ab omni peccato, & non timebo mortem nec infernum; Dummodo in æternum me non proicias, nec deleas de libro vitæ: non mihi nocebit, quicquid venerit tribulationis super me.

## CAP. XVIII.

*Quod temporales miserie, exemplo Christi, æquanimiter sunt ferenda.*

Dñs. I **F**ili, † ego descendi de cælo, pro tua  
Ioa. 3. salute: suscepi tuas miserias, non  
Esa. 53. necessi-

necessitate, sed charitate trahente: ut patientiam disceres, & temporales miseras non indignanter ferres. Nam ab hora ortus mei, usque ad exitum in cruce, non defuit mihi tolerantia doloris. Defectum rerum temporalium, magnum habui: multas querimonias de me frequenter audiui: confusiones & opprobria benignè sustinui: pro beneficiis ingratitude recepi: pro miraculis blasphemias, pro doctrina reprehensiones.

2 \* Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maximè, implendo præceptum Patris tui: dignum est, ut ego misellus peccator, secundum voluntatem tuam patienter me sustineam: & donec ipse volueris, onus corruptibilis vitæ, pro salute mea portem. Nam etsi onerosa sentitur præsens vita, facta est tamen iam per gratiam tuam, valde meritoria: atque exemplo tuo, & Sanctorum tuorum vestigiis, infirmis tolerabilior & clarior. Sed & multò magis consolatoria, quàm olim in Lege vetere fuerat, quum porta cæli clausa persisteret: & obscurior etiam via ad cælum videbatur, quando tam pauci regnum

Luc. 2.

Sertus.

10<sup>a</sup>. 5.

Mat. 7.

regnum cælorum quærere curabant. Sed neque qui tunc iusti erant & saluandi, ante passionem tuam, & sacræ mortis debitum, cæleste regnum poterant introire.

3 O quantas tibi gratias teneor referre, quòd viam rectam & bonam dignatus es mihi & cunctis fidelibus, ad æternum regnum tuum ostendere? Nam vita tua, via nostra: & per sanctam patientiã, ambulamus ad te; qui es corona nostra. Nisi tu nos præcessisses & docuisses, quis sequi curaret? Heu, quanti longè retroque manerent, nisi tua præclara exempla inspicerent. Ecce, adhuc tepescimus, auditis tot signis tuis & doctrinis: quid fieret, si tantum lumen, ad sequendum te, non haberemus?

## CAP. XIX.

*De tolerantia iniuriarum, & quis verus  
patiens probetur.*

Domi- 1 **Q**uid ¶ est, quod loqueris fili?  
nus. Cessa conqueri, cõsiderata mea  
Heb. 12 & aliorum Sanctorum passione. Non-  
dum vsque ad sanguinem restitisti.  
Parum